

ercendos in ea professione , ad quam destinantur. Ut autem reliqua studia ibi enumerata ne omittantur, studio Juris ut §. 92. dixi non dabuntur horæ quotidie plures quàm quatuor. Unde non omnia hæc tria Curriculi Elementaris membra conjungenda sed ita separanda sunt, ut *Historia Juris rudis* ante omnia cognoscatur, ab urbe Roma condita ad nostra tempora usque deducta, exemplo tituli de Origine Juris. Poterit hæc in tres plagulas contrahi, & ita accuratè pernosci duabus septimanis. Interea in defectum alterius legatur *Jac. Gothofredi & Guil. Forsteri Historia*. Sed deest illis historia Juris recentis. Sic cognoscet nomina, tempora, Autores & differentias librorum Authenticorum. Libros autem Authenticos voco, ut semel in univèrsum moneam, non tantùm Leges Veteres, sed & recentes, ut Recessus Imperii, Corpus Saxonicum & cujusque Reipublicæ statuta vel Reformationes.